

appellatur. Postremo illa species *Macanésia*, præterquam quod vicem *Farinæ prædictæ* suppleat, igne etiam assata, absque ulla alia præparatione, comeditur, ac *Macapera* appellatur.

A cæteris radicibus abstinendum est, quod præcens sint venenum. Dantur enim quædam, quas citius combusseris, quam ut virus suum deponant, & ad edendum idoneæ reddantur. Quin ipsi Indigenæ, olim minus exercitati, in separatione alimentosi & venosissimi, multoties mortem oppetierunt: nunc eruditiores facti, non solum illis præcipuo existit vitæ sustentaculo, sed omnibus Europæis in America degentibus. Idque panis triticeo præferre non verentur, licet minoris habeatur nutrimenti.

*Æthiopes* & *Brasiliani* inter edendum pugnos *Farinæ* plenos in os injiciunt, ut manu quoque longius ab ore remota, vix tamen mica pereat. Raro aut parum inter prandendum potu utuntur, quod farina aquam nimis imbibat, & stomachum inflat.

Cum aratrum ejusque usus hic ignoretur, & improbi ac multijugi laboris tædia declinent, facilem hanc & minus arummosam agriculturam, raro vitæ ac rei familiaris tuendæ, quam arri corradendo, egregie adhuc amplectuntur. Quippe unius dumtaxat mancipii industria & labore, centum tuberculos, aliquando unius diei decursum absolvunt. Hujus autem *Farinæ* una, quæ viginti cantharos nostrates continet, aut scilicet *Alberis*, hoc est, modius unus aut scilicet, homini robusto & laborioso, in mensem integrum plerumque sufficit. Quem modium sex aut septem aut ad summum octo solidis comparaveris.

Hæc sunt quæ usu & sedula in hanc radicem inquisitione, à rusticis & mea experientia resciscere potui: quæ fusius & explicatius persequi volui, quod hæc planta ubique frequens sit & domestica, tamque excellentis usus, ut vastissimi orbis Americani incolis abunde vidium suppeditet.

*Tapuyeri*, vita & moribus agrestiores, nec *Mandibocam* hanc, nec quicquam simile plantant, sed arborum fructibus, variis herbis & melle agresti se sustentant. Inter radices quas comedere amant, est *Mandiboca* quædam silvestris, sponte proveniens, frutexque arborefcens: cæterum sativæ simillima, si caulem & folia consideres, verum dignitate longe inferior. Meditæranæis *Cuyacuarema*, maris accolis *Cucá-mandiiba* dicta. Cujus Iconem expressam hic videre est.

MANDIBOCA Silvestris.

